ANDR. KRAG

THESES EX III
PRIORIBUS CAPITIBUS I
LIBRI PHYSICORUM
ARISTOTELIS DESUMPTÆ

1591

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1019 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1019 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1019 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1019 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1019 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1019 4°

48, -13. 4°

DA BOX

LN 1019
M

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1019 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1019 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1019 4°

48,-13.

THESES EX TRIBVS PRIORIBVS CAPITIBVS PRIMI libri Phyſicorum Ariſtotelis deſumptæ:

Quæ diſputabuntur publicè ad diem v. Kal: Aug.

Præſide

ANDREA KRAGIO RIPENSI.

Reſpondente

IOHANNE CLEMENTIS L.

Candido lectori Salutem.

Habes hîc candide lector Ariſtotelis Phyſicam veritatem in tribus prioribus capitibus primi libri Phyſicorum comprehenſam: Aduerſa autem pagina eiuſdem examen Philoſophicum & liberum continet. Si quis conqueri poſsit Ariſtotelem ſyncerè & philoſophicè non eſſe explicatum, primam oppugnet ceram. Examinis libertatem & fidem ſi quis velit repræhendere eius membra & partes petat. Vale.

HAFNIÆ

Impreßit Matthias Vinitor.

1591.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1019 4°

Theſis I.

Caput I.

OCto libros Acroamaticos explicaturus Ariſtoteles Methodum à ſe ſeruatum iri nobis commendat, ſuamq́; de Methodi neceſsitate & vtilitate ſententiam hoc ſollogiſmo confirmat.

Scientia quæ conſtat principijs, cauſsis, elementis, ab eorum explicatione inchoanda eſt: Scientia Phyſica conſtat principiis, cauſsis, elementis: Ergo etiam ea ab eorundem explicatione inchoanda eſt.

II.

Cùm principiorum ratio varia ſit, monet Ariſtoteles ſyllogiſmo à principiis notioribus nobis ad notiora naturâ procedendum.

Innata eſt nobis via in principiorum cognitione progredi à notioribus nobis ad notiora naturâ: Atqui confuſa ſunt nobis magis nota: Ergo ab vniuerſalibus ad ſingularia eſt procedendum.

III.

Aſſumptio tribus probatur argumentis. A ſimili. Quia totum ſenſui notius eſt, ſicut vniuerſale quod totum quiddam eſt. Ab exemplo definitionis & definiti. Definitum enim quod totum quoddam & confuſum eſt, notius eſt definitone. Ab exemplo puerorum. Nam ſicut pueri propter confuſam quandam &

indiſtin-

Theſis I.

Caput I.

PHyſices definitionem hîc deſideramus, & corporis naturalis mobilis, quod ab Ariſtotelicis Phyſices ſubiectum conſtituitur: Et conquerimur ejus loco ſubſtitutum encomium quoddam logicum Methodi, in hac doctrina Phyſica & principiis tradendis obſeruandæ. Calceus itaq; hic formatur, ſed huic pedi minimè conueniens. Firmus & conſtans eſt ſyllogiſmus de Methodo ab Ariſtotele allatus, ſed in agro Phyſico peregrinus & alienus.

II.

Syllogiſmus obſcurus eſt & ſibi ipſi inconſtans. Propoſitio enim etſi militaret, tamen ab Ariſt. ipſo non ſeruatur: Qui ſuorum doctrinam principiorum & hujus Phyſices principia non à notioribus nobis, ſeu ſenſu obuiis inchoat, ſed ab iis quæ non ſenſus ſolummodò, ſed fortaſſis etiam mentem & rationem fugiunt, & ſolâ proportione vix ac ne vix quidem dignoſcuntur.

III.

Aſſumptio inſignem in ſe continet obſcuritatem, quæ non repetit ſingularia ſed pro iis ſubſtituit magis confuſa. Nec etiam hîc Ariſt. argumenta quicquam ad rem faciunt. Siquidem vniuerſale & definitum tota quædam ſunt & confuſa non ſenſibus ſed menti. Puerorum error in judicando non poteſt rerum veritatem deſtruere: nec

indiſtinctam notitiam appellant omnes viros patres, omnes mulieres matres: Sic confuſa ſunt nobis magis nota.

IV.

Caput II.

Proëmium de Methodo excipit diſputatio de principiorum numero: qui inueniri non poteſt, niſi hac præmiſſa principiorum ab adjunctis partitione.

V.

Neceſſe eſt aut vnum eſſe principium aut plura. Vnum aut eſt immobile aut mobile. Plura ſunt aut finita aut infinita. Finita ſunt 2. 3. 4. aut alio certo numero. Infinita ſunt aut ejuſdem generis aut contraria.

VI.

Ad ſingula mēbra partitionis progrediens, Parmenidem & Meliſſum agnoſcentes principium vnicū immobile ſua dedignatur diſputatione & colloquio, duplici de cauſſa.

1. *Contra tollentes principia non eſt diſputandum:*
   Parmenides & Meliſſus agnoſcentes principium vnicum immobile tollunt principia:
   Ergò contra eos non eſt diſputandum.

Propoſitio confirmatur exemplo Geometriæ. Hic ſi quis circuli quadrationem ex principiis Geometricis demonſtrare ſuſtinuerit, argumentis firmioribus eſt conuincendus. Qui idem in animum induxerit ſpretis principiis Geometricis, refutandus non eſt. Eodem modo res ſe habet in Phyſica. Aſſumptio probatur ab adjuncto proprio princi-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1019 4°

illi quicquam falſo ſuo judicio confirmant. Complexio aliena eſt, & contra præcedentia concludit : ab vniuerſalibus ad ſingularia procedendum.

IV.

Methodus nobis prius commendata negligitur, ſuſfecta in ejus locum diſputatione contra veteres Philoſophos in doctrina principiorum aberrantes : cùm longè commodiùs vnica definitio, quàm veterum refutatio explicaſſet. Caput II.

V.

Partitio imperfecta eſt, quæ ſic ab interpretibus completur. Neceſſe eſt eſſe vnum principium aut plura. Vnum eſt mobile aut immobile. Vtrumq́ eſt finitum aut infinitum &c.

VI.

Reſpondebunt veteres ſe Theologos eſſe, & appellari ab ipſo Ariſtot : Philoſophos non naturales, quod doceant vnum immobile rerum naturalium omnium principium, à quo reliqua dependeant omnia : Et hac ſententiâ Theologica non poſſe meritò offendi Ariſtotelem Phyſicum, qui motum rerum naturalium & ſuæ Phyſicæ doctrinæ proram & puppim conſtituit.

Nec etiam κατὰ παντὸς *eſt & omnino verum, contra negantem principia non eſſe diſputandum. Si enim alicui dubium de iis eſſe poßit, non eſt inconueniens illa confirmare. Firma & ſole meridiano clariora ſtabilire*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1019 4°

piorum quæ ſunt alicujus aut aliquorum: Et auctoritate Phyſicorum aſſerentium naturalia omnia aut quædam moueri.

VII.

2. Contra abſurdas & perſpicué falſas opiniones non eſt diſputandum:
Tales ſunt opiniones Parmenidis & Meliſſi:
Ergò contra eas non eſt diſputandum.

Propoſitio probatur Heracliti exemplo, contra quem non eſt diſputatum, cùm temerè & repugnante veritate doceret contradictoria ſimul vera &c. In aſſumptione illis exprobrat Ariſtoteles, quòd falſa aſſumant & vitioſa forma concludant.

VIII.

Iam mox mutata ſententia eoſdem eorumq́ opinionem de vnitate principiorum aggreditur, ſumptis argumentis à quæſtionis parte vtraq́. Interea tamen diſſimulandum non eſt, vocabulum Entis pro vocabulo Principii vſurpari.

IX.

Sic itaq́ per partitionem ſubjecti ſeu Entis contra vnicum principium immobile diſputat.

Si Ens eſſet vnum, aut eſſet vna ſubſtantia ſeparata per ſeſe, aut Quantitas, aut Qualitas aut hæc omnia ſimul:
Sed nullo horum modorum Ens eſt vnum. Ergò &c.

Miſſa propoſitione aſſumptioni robur additur. Subſtantia non eſt Ens vnum infinitum, quia infinitum de ſubſtantia, niſi mediante Quantitate non dicitur. Hac itaq́ cum

ſubſtan-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1019 4°

aut vt ſtabiliantur poſtulare, eſt actum agere, & in infinitum progredi.

VII.

Falſitatem neutiquam prædicti Philoſophi fatebuntur. Quin potius pro ſuo vnico principio pugnantes nullum ſibi eſſe cum Ariſt: certamen vociferabuntur. In cujus rei teſtimonium, omnia quæ de hoc vnico principio æterno immobili &c. ſcripſerunt, producent. Vitium etiam concludendi facilè effugient, & ab hoc crimine liberabuntur, ſi quis eorum ſententias ab ipſius Ariſt: interpretibus reſeruatas cum animo diligenter conſiderauerit.

VIII.

Inconſtantia eſt veteres prius condemnatos & quaſi ſpretos in dignitatẽ & honorem euehere, & nouam contra eos diſputationem inſtituere. Injuria eſt pro vocabulo Principii reponere vocabulum Entis, quod longè eſt generalius quàm principium.

IX

Parmenides & Meliſſus ab Ariſt: per diſtributionem Entis accuſati, facili opera, vt priùs ſe excuſabunt, nullo in crimine ſibi malè conſcii: Nunquam enim iis in mentem venit, ne quidem per ſomnium, hoc principium rerum naturalium quod Ariſt: vult Quantitate & Qualitate veſtitum & ornatum: Sed tale, quale ipſemet Ariſt: 1. Metaph. Parmenidi attribuit & concedit: vbi ſuam & Parmenidis ſententiam palàm in medium proferens, fatetur

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1019 4°

ſubſtantia conjuncta, duo ſunt, non vnum Ens. Non Quantitas nec Qualitas: quia ſine ſubjecto non exiſtunt: quo addito plura fiunt non vnum. Non omnibus ſimul conjunctis: quia multa in hac conjunctione concurrunt Entia.

X.

A diſtributione prædicati ſeu vnius itidem contra eandem Entis vnitatem diſputat.

Si Ens eſt vnum, aut eſt vnum continuum, aut indiuiſibile aut definitione: Sed nullo horum modorum, Ergò Ens non eſt vnum.

Etiã hic relicta propoſitione aſſumptio confirmatur, Non eſt vnum continuum, quia omne continuum in plures diuiditur partes, & ſic in vnitate plura eſſent. Non vnum indiuiſibile, quia in eo nulla eſſet quantitas, nulla qualitas: Hæc enim diuiſionem admittunt: Et Parmenides ac Meliſſus etiam in ſuo principio vnico Quantitatem requiſiuerunt. Non definitione, quia tunc homo & equus eſſent vnum & idem, bonum item & malum.

XI.

Caput III. Rationes quibus adducti Parmenides & Meliſſus, ad inueſtigandum hoc vnicum principium, illis eripiuntur. Sunt autem argumenta & rationes Meliſsi quatuor.

1. Si quod factum eſt habet principium,
Ergò quod factum non eſt non habet principium.

2. Ens non habet principium: Ergò eſt infinitum.

Reſpon-

tetur illum totam ſuam doctrinam & philoſophandi ratio‑nem hauſiſſe à Præceptore doctiſſimo Xenophane, qui nihil dilucidè dixit, & apertè, & præcipuè de hac princi‑piorum doctrina, ſed in cœlum reſpiciendo Deum ipſum nominaſſe.

X.

Ad hunc ſyllogiſmum ab vnius partitione deſum‑ptum reſpondebitur vt priùs: Veterum videlicet Theolo‑giam nimis liberè ab Ariſt. peti: quorum principium ſem‑per eſt continuum, immobile, nunquam genitum, nunquam interiturum, idem indiuiduum ratione, formâ, definitione. Vt de induſtria prætereamus vnitatis partitionem præſen‑tem, nec eſſe logicis legibus conuenientem, nec ſibi ipſi con‑ſtantem (ſi Ariſtotelis conſideretur Philoſophia, de hac eâdem partitione in diuerſis locis & libris ſparſa) nec eam etiam deſumptam ex iis argumentis conſentaneis, quibus vnum ſeu idem explicatur & declaratur.

XI.

Syllogiſmi 4. Meliſſo attributi apud Meliſſum nuſpiam hodierno die reperiuntur, nec ab ipſo Ariſt: ex‑preſſè ſunt poſiti, ſed obſcurè & tectè refutati. Ab inter‑pretibus nihilominus hac donati forma in lucem prodeunt, ac ſi tales ex cerebro Meliſſi progreſſi eſſent: ne quis Ariſt. obijceret, quod nulla graui adductus cauſſa veteri‑ Caput III.

bus Theo‑

Reſpondet Ariſt. Elenchum eſſe in diuerſis ſignificatis principii. Siquidem in primo ſyllogiſmo intelligendum eſt de principio temporis & generationis: In ſecundo de principio magnitudinis. Infinitum autem eſt illud Ens, quod caret principio magnitudinis

3. *Ens eſt vnum. Ergò immobile.*

Reſpondet Ariſt: totum moueri ſuo proprio loco, & alterationis motu per partes, etiamſi immobile ſit.

4. *Ens eſt infinitum, Ergò vnum.*

Reſpondet Ariſt: Ens eſſe vnum materia, ſed forma & definitione multiplex & diuerſum.

XII.

Parmenidi ſua eripitur ratio. Quia falſa (inquit Ariſt.) ſumit: & exiſtimat Ens ſumi ſimpliciter vnum, cum multis modis dicatur. Deinde etiam in forma concludendi peccat: Nam ſi Album poneretur loco Entis, Et eſſent omnia alba, non propterea eſſet album vnum: quia neq́; eſſet vnum continuum, Nam in infinita diuideretur, neq́; vnum definitione, quia alia eſt ſubjecti quam accidentis ratio.

XIII.

Ad hanc eandem principiorum vnitatem euertendam reuocantur ex præcedenti capite duo ſyllogiſmi ex partitione Entis & Vnius deſumpti.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1019 4°

bus Theologis & Philoſophis bellum feciſſet. Sic enim contenta voce alibi interpretes, non rogati fatentur: Meliſſum & Parmenidem conſtituiſſe principium ingenitum, immortale, totum, vnum, irrequietum, habens eſſe ſuum totum ſimul indiuiſibile principii & finis expers, nullius indigum, in quo idem eſt intelligens & intellectio &c. Vt inter hoc Meliſsi principium & illud quod tantis viribus ab Ariſto: impugnatur, nulla intercedat differentia. Legatur hac de re & Meliſsi Parmenidiſq́ ſententia Ciceronis lib. 1. de Nat. Deorum: Et Platonis acutiſsimè ſcriptus Dialogus qui inſcribitur Parmenides.

XII.

Parmenides conqueretur ſe innocentem Entis crimine damnari, cum principiorum nomine ſit accuſatus. Magnam injuriam ſibi fieri, non reticebit: cum pro vocabulo principii, veniat in diſputationem Albi vocabulum, Et indè falſitas, & in concludendo error demonſtretur. Cum nec Parmenidi, nec vlli homini Philoſopho in mentem venire poßit, eandem Albi & principiorum eſſe naturam.

XIII.

Repetere diſputationem capitis præcedentis odioſum eſt, & à doctrina Methodica prorſus debet eſſe alienum.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1019 4°

Interpret. Ariſt.	Exam. Philoſ. & liberum]
XIV.	XIV.
Ad finem capitis pungitur Plato & Xenophanes, ac ſi Plato omnia Ens vnum docuiſſet: Et Xenophanes indiuiduas magnitudines admiſiſſet, cum non Ens nihil ſit. Diſtinguere enim debebat Plato inter Ens reuera quale eſt ſubſtantia & accidentia quæ ſunt quodammodò Entia à ſubſtantia diſtincta. Deinde neq; hoc verum eſt in ipſis ſubſtantiis Ens eſſe vnum: cum vel eæ ex multis variis partibus componantur.	*Plato ſi quis alius diligentiſſimè Entium genera obſeruauit, teſte ejus Dialogo Timæo, vbi omnia Entium genera accuratè percenſet, & in ſuas deducit ſpecies. Xenophanes propter indiuiduas ſuas magnitudines liber ab ipſo Ariſtotele dimittitur. In jus vocatur, judicium perſequente nemine.*

Atq; talis eſt Ariſtotelis Philoſophia contra veteres vnicum immobile principium agnoſcentes, in tribus prioribus capitibus 1. lib. Phyſicorum concluſa & compræhenſa.

VERITAS ODIUM PARIT.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1019 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1019 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1019 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1019 4°